Bula de Paulo 3. sobre la hacienda que el Hospital de la Sangre tiene en Guadalcanal, que confirma la venta que della le hizo el Emperador Carlos 5

30.

VNIVERSIS, ET SINGVLIS PRÆSENTES LITERAS, SIVE PRÆ-

sens publicum, & authenticum processus instrumentum visuris, lecturis pariter, & audituris, ac illi, vel illis ad quem, vel ad quos præsentes nostræ literæ peruenerint; omnibusq; alijs, & singulis quorum interest intererit, aut interesse poterit quosq; infra scriptum tangit negotium, seu tangere poterit quomodolibet in futurum quibuscumq; nominibus censeantur, & quacumq; præfulgeant dignitate, vel auctoritate etiam Apostolica, vel imperiali, aut Regia fungantur. CHRISTOPHORVS DE SPIRITIBVS, Dei, & Apostolicæ Sedis gratia; Episcopus Cesenateñ iudex, & executor ad infra scripta vna cum alijs nostris in hac parte Collegis cum illa clausula. Quatenus vos, vel duo, aut vnus vestrum, &c. á Sede prædicta specialiter deputatus, salutem in Domino, & nostris huiusmodi, immo verius Apostolicis firmiter obedire mandatis. Literas Sanctissimi in Christo Patris, & domini nostri domini Pauli diuina prouidentia Papæ Tertij, vnas videlicet gratiosas cum filis sericis rubei, croceiq; colorum, alteras vero executorias cum cordula canabis, eius veris bullis plumbeis more Romanæ Curiæ impédentibus bullatas, sanas si quidem, & integras, non vitiatas, non chancellatas, nec in aliqua sui parte suspectas; sed omni prorsus vitio, & suspicione carentes, vt in eis prima facie apparebat; Nobis pro parte dominorum Administratorum Hospitalis pauperum Quinq; Plagarum Hispaleñ principalium, in eisdem literis principaliter nominatorum corã Archiuij dictæ Curiæ scriptore, & testibus infra scriptis præsentatas: Nos

30.

cum ea qua decuit reuerentia noueritis recepiſſe huiuſmodi ſub
tenore. PAVLVS Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, ad perpe-
tuam rei memoriam. Circa Hoſpitalium, & aliorum piorum lo-
corum quorumlibet ſtatum proſpere dirigendum ſtudijs in vigi-
lantes aſsiduis, hijs quæ pro illorum vtilitate proceſsiſſe dicuntur,
ne impugnationi ſubiaceant Apoſtolici muniminis propenſius
impartimur, & alias Apoſtolicæ prouidentiæ partes deſuper adhi-
bemus. Sanè pro parte dilectorum filiorum, modernorum, admi-
niſtratorum Hoſpitalis pauperum Quinq; Plagarum Hiſpaleñ,
nobis nuper exhibita petitio continebat, quod alias poſtquam fę-
licis recordationis Clemens Papa Septimus prædeceſſor noſter, ex
certis tūc expreſsis cauſis cariſsimo in Chriſto filio noſtro Carolo
Romanorum imperatori ſemper Auguſto, qui etiam Hiſpania-
rum Rex, & Sancti Iacobi de ſpata, ſub regula Sancti Auguſtini, &
de Alcantara, ac de Calatraua, Ciſtercieñ ordinis Militiarum per-
petuus adminiſtrator in ſpiritualibus, & temporalibus, per Sedem
Apoſtolicam deputatus, etiam tunc exiſtebat aliqua oppida Arcos
fortalitia vaſſallorum iuriſdictiones, Necnon ſaltus, & paſcua, ac
alia bona immobilia, tam ad Menſas Magiſtrales, quàm Præce-
ptorias dictarum Militiarum legitimè ſpectātia, quorum fructus,
redditus, & prouentus ad valorem quadraginta millium ducato-
rum auri largorum aſcenderent, videlicet viginti millium à Men-
ſis Magiſtralibus, & aliorum viginti millium ducatorum huiuſ-
modi à Præceptorijs prædictis iuxta ipſius Caroli imperatoris &
regis deliberationem, & determinationem deſuper faciendā per-
petuo diſmembrandi, & ſeparandi, ipſaq; bona diſmembrata, ſibi
appropriandi, ac certis modo, & forma inhibi expreſsis, de bonis
ipſis diſmembratis, tanquam de alijs bonis ſuis proprijs libere diſ-
ponendi, & in quoſcumq; quocumq; titulo etiam donationis, vel
venditionis, cum vaſſallis, ac iuriſdictione, omnibuſq; alijs iuribus,
& pertinentijs ſuis transferendi, ita quod iuriſdictio locorum quæ
conceſsionis huiuſmodi vigore, cum vaſſallis, & iuriſdictione diſ-
membrata exiſterent ad ipſum Carolum imperatorem, & Regē,
ſeu perſonas in quas huiuſmodi loca trāsferri cōtingeret, ſeu terri-
torium, aut diſtrictum, cui ipſe Carolus imperator & Rex, vel per-
ſonæ per ipſum deputandæ vellent applicare pertineret. Illiq; in
quos bona diſmembrata, & ſibi applicata, ac per ipſum Carolum
imperatorē & regē tranſlata forent, nullo vnquam tēpore deſuper
moleſtari poſſent, ac ſi illa eis per dictū Clemētem prædeceſſorē,
& ſedem prædictam conceſſa fuiſſent perpetuo retinendi: Ipſiq;
Carolo

Carolo imperatori, & regi, tot alios redditus, & prouentus super regni Granatæ, & Aphricæ vectigalibus, seu Gabellis, aut alijs redditibus ex eiusdem regni Granatæ, & Aphricæ ciuitatibus, & locis, sibi subiectis vsq; ad summam quadraginta quinq; millium ducatorum similium prouenientes pro fidei, ac regni Granatæ, & Aphricæ, & fidelium defensione, ac infidelium offensione, ita perpetuo assignandi, quod illorum perpetuo administratio ad ipsum Carolum imperatorem & regem, ac regem Castellę pro tempore existentem pertineret, plenam, & liberam auctoritatem, licentiã, & facultatẽ inter alia per suas literas concesserat Lateranẽ Concilij nouissime celebrati, ac piæ memoriæ Pauli Papæ II. etiã prædecessoris nostri, per quam literas super alienationibus, & concessionibus huiusmodi cum comissione ad partes, ac insertione illius fieri voluit constitutionibus ea vice derogando. Nosq; literas Clementis prædecessoris cum omnibus, & singulis in eis contẽtis clausulis Motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine per quasdam sub plumbo approbaueramus, & confirmaueramus, ac pro potioris cautelæ suffragio præmissa omnia, & singula de nouo cõcesseramus. Et deinde etiam si bona huiusmodi fructus decimales, & primitiales existerent, præfactum Carolum imperatorem & regem illa dismembrare, & sibi appropriare, ac in quas vellet personas transferre posse, personasq; ipsas, ac eorum successores ad fructus primitiales, & decimales huiusmodi perpetuo obtinendos, & possidendos capaces, & habiles fore per reliquas nostras in forma breuis cõfectas literas declarau eramus. Præfactus Carolus imperator & rex, ac administrator facultatis, & literarum prædictarum vigore à præfata militia Sancti Iacobi, & eius Mẽsa Magistrali scribaniam publicam oppido de Guadalcanal, Hispalẽ diœcesis, vna cum iuribus, & alijs rebus eidem scribaniæ annexis, ac illius pertinentijs xapetis nuncupatis, necnon medietatem decimarum frumẽti, & vini dicti oppidi, & suorum terminorum, ac medietatem domus, & grangiarum langares nuncupatarum, ac alimenta frumenti, & vini cum suis annexis tinajas nuncupatis in platea publica præfati oppidi existentibus, necnon introitus de pedido nuncupatos, quos dilecti filij incolæ dicti oppidi soluebant singulis annis Mensæ militiæ Sancti Iacobi huiusmodi, & omnes census quos eadem Mensa super domibus, officinis, curijs, & cellarijs ordinis nũcupatis, ac molendinis, terris, & vineis, ac alijs possessionibus in dicto oppido, & eius terminis consistentibus, ac ad Mẽsam militiæ Sancti Iacobi huiusmodi spectantibus, & pertinenti-

bus per-

bus percipiebat, dismembrauit, & separauit. Ac militiæ Sancti Iacobi, & illius Mensæ prædictis, tam pro pretio, quám augmento iuxta dictarum literarum tenorem certę pecuniarum quantitates census, & iura hæreditaria nuncupata super redditibus, seu vectigalibus, aut iuribus sirici regni Granatæ pręfati impositæ & deinde pro subuentione alicuius partis grauium impensarum circa stipendia militum litora maritima Castellæ, & Legionis regnorum, ac ciuitatum, & oppidorum per ipsum Carolum imperatorem & regem in Aphrica obtentorum contra immanem Turcham, Christiani nominis inimicum custodientium, & aliarum rerum plurimum necessariarum, necnon pro conseruatione suorum regnorũ, & publico totius Christianitatis bono factarum scribaniam, cum illi annexis, eiusq; pertinentijs, ac decimarum frumenti, & vini oppidi, & terminorum, necnon domus, & grangiarum medietates, ac alimenta cum illis annexis, ac introitus, & census, vt præfertur dismembrata huiusmodi præcedente certa illorum liquidatione, & æstimatione prædicto Hospitali imperpetuum pro certa pecuniarum summa, quam ex tũc dicti Administratores nomine eiusdem Hospitalis numerarunt, quamq; dictus Carolus imperator & rex accepit, & de illa Hospitale ipsum quietauit, védidit, cessit, concessit, assignauit, & appropriauit, prout in nostris, & Clementis prædecessoris continetur, ac Caroli imperatoris & regis prædictorum literis, ac instrumento publico desuper confectis contineri dicitur. Cum autem sicut eadem petitio subiungebat, licet præmissa omnia, & singula apostolica auctoritate, vt pręfertur gesta fuerint, ipsiq; Administratores in scribaniæ, ac medietatis domus, & grangiarum, necnon percipiendi medietatem decimarum frumenti, & vini oppidi, & terminorum, ac introituum, & censuum alimentorũ huiusmodi, pacifica possessione, seu quasi nomine dicti Hospitalis existant: Nihilominus, quia, ea, quæ nostro, & Apostolicæ sedis patrocinio sunt munita in maiori veneratione habentur pro parte dictorum Administratorum nobis fuit humiliter supplicatũ, vt dismembrationi, separationi, venditioni, cessioni, concessioni, assignationi, & appropriationi huiusmodi pro illarum subsistentia firmiori robur Apostolicæ confirmationis adijcere, aliasq; in præmissis opportunæ prouidere de benignitate dignaremur. Nos igitur attendentes ea, quæ sub Romani Pontificis fide quouis modo contrahuntur nullatenus confringi, aut irritari debere, ac volentes Hospitalis manutentioni, & pauperum prædictorum subuentioni consulere, ipsosq; Administratores, & eorũ quemlibet á quibusuis

excommu-

excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsq; Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pęnis á iure, vel ab homine quauis occasione, vel causa latis si quibus quomodolibet innodati existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes. Necnon literarum, & instrumenti veriores tenores, ac scribaniæ, domus, grangiarum, decimarum frumenti, & vini, ac introitus, & censuum venditorum, & applicatorum huiusmodi qualitates, quantitates, situationes, confines, vocabula, nuncupationes, ac etiam annuos valores præsentibus pro expressis habentes huiusmodi supplicationibus inclinati: Dummodo bona prædicta, & alia per ipsum Carolum imperatorem & regem alienata summam in facultatibus, sibi concessis cō-præhensam non excedant, ac alienatio huiusmodi iuxta dictarum facultatum, formam, & tenorem facta existat, dismembrationē, separationem, venditionem, cessionem, concessionem, assignationem, & appropriationem prædictas, ac prout illa concernunt omnia, & singula in literis Caroli imperatoris & regis prædicti, ac instrumento huiusmodi contenta, & inde sequuta quæcumq; Apostolica auctoritate tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illisq; perpetuæ firmitatis robur adijcimus, illaq; perpetuæ firmitatis robur obtinere, & inuiolabiliter obseruari debere, ac valida, & efficatia existere. Necnon Hospitale prædictam, & illius Administratores pro tempore existentes, scribania, decimarum frumenti, vini oppidi, & terminorum, necnon domus, & grangiarum medietatibus, ac alimentis, & introitibus, ac censibus venditis huiusmodi, iuribusq;, & pertinentijs suis tanquam ad Hospitale ipsum legitime spectātibus vti frui, & de illis, prout de alijs eiusdē Hospitalis proprijs bonis disponere, nec Hospitale, & Administratores huiusmodi desuper molestari posse. Sicq; per quoscumque quauis auctoritate fungentes iudices, & alias personas sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate iudicari, & diffiniri debere. Ac si secus super hijs á quo quam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari irritum, & innane decernimus. Supplentes omnes, & singulos iuris, & facti, ac solemnitatum forsan requisitarum defectus, si qui forsant interuenerint in eisdem. Non obstantibus præmissis, ac quibusvis cōstitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac dictæ militiæ Sancti Iacobi, iuramento confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, & cōsuetudinibus, ac stabilimentis vsibus, & naturis, Necnon quibusvis priuilegijs, in-

 dultis,

dultis, & literis Apostolicis eisdem militiæ Sancti Iacobi, & ordini, ac ipsius militiæ Magistro, & Præceptoribus pro tempore existentibus, ac quibusvis alijs sub quibuscumq; tenoribus, & formis, ac cũ quibusvis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsq; efficacioribus, & insolitis clausulis, necnon irritantibus, & alijs decretis etiam ipsis Motu proprio, & ex certa scientia, aut consistorialiter, & alias quomodolibet cõcessis, approbatis, & innouatis, etiam si in eis caueatur expressè, quod illis nullatenus derogari, nec derogatum cẽseri posit, nisi illorum toto tenore inserto, ac certis modo, & forma in illis expresis obseruatis, quibus omnibus illorum tenores, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita obseruata inserti forent præsentibus pro sufficienter expresis habentes, illis alias in suo robore permansuris hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus. Necnon iuramentis per præfatum Carolum imperatorem, tanquam Regem de regalis coronæ, & tãquam dictæ militiæ Sancti Iacobi Magistrũ, seu Administratorem de ipsius militiæ, seu illius Mensæ non alienandis bonis, etiã solemniter, & forsan iteratis vicibus, quomodolibet forsan præstitis, quæ sibi hac vice dumtaxat ad effectum validitatis, & roboris præsentium relaxamus, cęterisq; contrarijs quibuscumq;. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis, approbationis, confirmationis, adiectionis, decreti, supletionis, derogationis, & relaxationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręsumpserit indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datis Romæ apud Sãctum Marcum, anno incarnationis Dominicæ millesimo quingẽtesimo quadragesimo
1544 quarto, idibus Iunij, Põtificatus nostri anno Decimo. PAVLVS Episcopus, seruus seruorũ Dei. Venerabili fratri Episcopo Cessenaten, ac dilectis filijs Archidiacono Ecclesiæ Hispaleñ, ac officiali Hispaleñ, salutẽ, & Apostolicã benedictionẽ. Hodie à nobis emanarunt literæ tenoris subsequentis. PAVLVS, &c. QVO CIRCA discretioni vestræ per Apostolica scripta mãdamus, quatenus vos, vel duo, aut vnus vestrũ per vos, vel aliũ, seu alios literas prędictas, & in eis contenta quęcumq; vbi, & quando opus fuerit, ac quotiens pro parte dictorum Administratorum, seu alicuius eorum desuper fuerit is requisiti solemniter publicantes, eisq; in pręmisis efficacis defensionis præsidio, asistentes, faciatis auctoritate nostra literas, & in eis contenta huiusmodi firmiter obseruari; ipsosq; Administratores illis pacificè frui, & gaudere, non permittẽtes eos desuper

per

perquoscumque quomodolibet molestari, impediri, & perturbari: Contradictores per censuram Ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Non obstantibus omnibus supradictis, seu si aliquibus communiter, vel diuisim ab eadem sit sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint, per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto huiusmodi mentionem. Datis Romæ apud Sanctum Marcum, anno incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo quadragesimo quarto idibus Iunij, Pontificatus nostri anno Decimo. POST QVARVM QVIDEM literarum Apostolicarum præsentationem, & receptionem nobis, & per nos, vt præmittitur factas fuimus pro parte dictorum dominorum Administratorum Hospitalis pauperum Quinq; Plagarũ Hispalensis principalium in præinsertis literis Apostolicis principaliter nominatorum debita cum instantia requisiti quatenus ad executionem dictarum literarum, & contentorum in eisdem procedere dignaremur iuxta traditã, seu directam per eas á sede prædicta nobis formam. NOS IGITVR CHRISTOPHORVS de Spiritibus Episcopus, iudex, & executor præfatus attendentes requisitionem huiusmodi esse iustam, & rationi consonam, volentesq; mandatum Apostolicum nobis directum reuerenter exequi, vt tenemur: idcirco auctoritate Apostolica nobis commissa, & qua fungimur in hac parte literas prædictas, & in eis contenta quæcũq; huncq; nostrum processum vobis omnibus, & singulis supradictis quibus præsens noster processus dirigitur, intimamus, insinuamus, & notificamus, ac ad vestram, & cuiuslibet vestrum notitiam deducimus, & deduci volumus per præsentes. Vosq; nihilominus, & vestrum quemlibet tenore præsentium requirimus, & monemus primo, secundo, tertio, & peremptoriè communiter, vel diuisim, ac vobis, & vestrum cuilibet insolidum in virtute sanctæ obedientiæ, & sub infrascriptis sententiarum pęnis districtæ præcipiendo mandamus, quatenus infra sex dierum spacium post præsentationem, seu notificationem præsentium, ac requisitionem vobis, seu alteri vestrum desuper factas, & postquam pro parte dictorũ Administratorum, seu alicuius eorum vigore præsentium super hoc fueritis requisiti, seu alter vestrum fuerit requisitus immediate sequentium, quorum sex dierum, duos pro primo, duos pro secũdo, & reliquos duos dies vobis vniuersis, & singulis supradictis, pro tertio, & peremptorio termino, ac monitione canonica assignamus, eosdem Administratores principales, sibi in præmissis efficacis defensio-

1544

sensionis præsidio, assistentes literas, & in eis contenta huiusmodi firmiter obseruari, ipsosq; Administratores illis, omnibusq; alijs, & singulis in præinsertis literis Apostolicis contentis pacificè frui, & gaudere iuxta dictarum literarum Apostolicarum vim, formam, continentiam, & tenorem, prout ad vos communiter, vel diuisim pertinet, faciatis, & quilibet vestrum faciat. INHIBENTES preterea vobis omnibus, & singulis supradictis quibus præsens noster processus dirigitur; & quibusvis alijs cuiuscumq; dignitatis, status, gradus, ordinis, vel conditionis existant, ne prædictis dominis Administratoribus principalibus, seu alicui eorum super præmissis in aliquo impedimentum aliquod præstetis, seu præstent, ac impedientibus ipsos detis, seu dent auxilium, consilium, vel fauorem publicè, vel occultè, directè, vel indirectè quouis quęsito colore, vel ingenio, sed in omnibus, & per omnia mādatis Apostolicis, atq; nostris huiusmodi pareatis, seu pareant realiter, & cum effectu. QVOD SI FORTE præmissa omnia, & singula non adimpleueritis, seu distuleritis contumaciter adimplere, mandatisq;, & monitionibus nostris huiusmodi, immo verius Apostolicis non parueritis realiter, & cum effectu; Nos in vos omnes, & singulos qui culpabiles fueritis in præmissis, seu eorum aliquo, & generaliter in cōtradictores quoslibet, & rebelles, ac impedientes eosdem dominos Administratores super præmissis in aliquo, aut ipsos impedientibus dantes auxilium, cōsilium, vel fauorem publicè, vel occultè, directè, vel indirectè quouis quęsito colore cuiuscumq; dignitatis, status, gradus, ordinis, vel conditionis existant, ex nunc, prout ex tunc, & è contra singulariter in singulos prædicta sex dierum canonica monitione præmissa excōmunicationis, in Capitula vero, ac Conuentus, & Collegia quęcumq; in his forsan delinquentes suspensionis à diuinis, & in ipsorum delinquentium, ac rebellium Ecclesias interdicti Ecclesiastici sententias ferimus in his scriptis, & etiam promulgamus. CAETERVM cum executioni præmissorum vlterius faciendæ nequeamus ad præsens personaliter interesse pluribus alijs arduis in Romana Curia legitimè prępediti negocijs. Vniuersis, & singulis dominis Abbatibus, Prioribus, Decanis, Archidiaconis, & alijs personis in dignitate Ecclesiastica constitutis, necnon Metropolitanarum, & aliarum Cathedralium, ac collegiatarum, Canonicis, Parrochialiūq; Ecclesiarū, Rectoribus, cęterisq; viris Ecclesiasticis in quibuscūq; dignitatibus, gradibus, vel officijs, notarijsq;, & tabellionibus publicis quibuscūq; per ciuitatem, & diœcesim Hispalen, ac alias vbilibet constitutis, & eorum cuilibet insolidum super vlteriori executione dicti mandati

Aposto-

Apostolici, atq; nostri facienda auctoritate Apostolica supradicta tenore præsentium plenariè committimus vices nostras donec eas ad nos specialiter, & expressè duxerimus reuocādas. Quos nos etiam, & eorum quemlibet in solidum eisdē auctoritate, & tenore requirimus, & monemus primo, secundo, tertio, & peremptoriè communiter, vel diuisim, eisq; nihilominus, & eorum cuilibet in virtute sanctæ obedientiæ, & sub excommunicationis pęna quam in eos, & eorum quemlibet nisi fecerint, quæ iubemus ferimus in his scriptis districtè præcipiendo mandamus, quatenus infra sex dies post presentationem, seu notificationem præsentiū, ac requisitionē pro parte dictorū Administratorū, seu alicuius eorū eis, seu eorum cuipiā desuper factas immediatè sequētes quos dies ipsis, & illorum cuilibet pro omni dilatione, terminoq; perēptorio, ac monitione Canonica præfigimus, ita tamen quod in his exequendis alter alterum non expectet, nec alius per aliū se excuset, ad vos omnes, & singulos supradictos quibus præsens noster processus dirigitur, necnon ad Ecclesias huiusmodi personasq;, & loca aliadt quibus vbi quando, & quotiens expediens fuerit personaliter accedant, & prefatas literas Apostolicas, huncq; nostrum processum, ac omnia, & singula in eis contenta, seu eorum substantiam, & effectum vobis omnibus, & singulis supradictis communiter, vel diuisim legant, intiment, insinuent, & fideliter publicare procurent. Ac eosdem dominos Administratores principales, sibi in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, omnibusq; alijs, & singulis in præinsertis literis Apostolicis contentis pacificè frui, & gaudere, necnon prædictas literas Apostolicas suum effectum sortiri, & inuiolabiliter obseruari iuxta dictarum literarum Apostolicarum vim, formam, continentiam, & tenorem, prout ad eos communiter, vel diuisim pertinet, faciant, & quilibet eorū faciat. ET GENERALITER omnia alia, & singula nobis in hac parte commissa plenariè exequantur iuxta prædictarum literarum Apostolicarum, & præsentis nostri processus continentiam, & tenorē. Ita tamen quod ipsi, vel quicumq; alius nihil in præiudicium dictorū Administratorum valeant attentare quomodolibet in præmissis, neq; in processibus per nos habitis, aut sententijs per nos latis absoluendo, vel suspendendo aliquid immutare, in ceteris autem quę eisdem Administratoribus quoquomodo nocere possint præfatis subdelegatis nostris, & quibusvis alijs potestatem omnimodam denegamus. Etsi cōtingat nos super præmissis in aliquo procedere de quo nobis dictam potestatem reseruamus: Nō intendimus propterea commissionem nostram huiusmodi in aliquo reuocare, nisi de reuocatione ipsa specialem, & expressam in literis

nostris

noſtris fecerimus mentionem. Per proceſſum autem noſtrum huiuſmodi nolumus, nec intendimus noſtris in aliquo præiudicare Collegis quominus ipſi, vel eorum alter, ſeruato tamē hoc noſtro proceſſu, in huiuſmodi negocio procedere valeant, prout eis, vel eorum alteri viſum fuerit expedire. Præfatas vero literas Apoſtolicas, & hunc noſtrum proceſſum, ac omnia, & ſingula huiuſmodi negotium tangentia volumus pęnes dictos Adminiſtratores, vel eorum procuratorem remanere: & nō per vos, aut aliquem veſtrum, ſeu quemcumq; alium ipſis inuictis quomodolibet detineri. Contrarium vero facietes præ-
* fatis noſtris ſententijs, prout in his ſcriptis per nos late ſunt prædicta
* ſex dierum Canonica monitione præmiſſa ipſo facto volumus ſubia-
* cere, Mandamus tamen copiam fieri de præmiſsis eam petentibus, & habere debentibus, petentium quidem ſumptibus, & expenſis. Abſo-
* lutionem vero omnium, & ſingulorū qui ante dictas noſtras ſenten-
* tias, ſeu earum aliquam incurrerint quoquomodo nobis, vel ſuperiori
* noſtro tantummodo reſeruamus. IN QVORVM OMNIVM, & ſingulorum fidem, & teſtimonium præmiſſorum pręſentes literas, ſiue pręſens publicum, & authenticum inſtrumentum proceſſum noſtrum huiuſmodi in ſe continentes, ſiue continēs exinde fieri, & per ſcriptorem prædictum ſubſcribi, & publicari, ſigilliq; dicti Archiuij iuſsimus. & fecimus appenſione communiri. Datū Romæ in Palatio Apoſtolico, & in camera noſtræ ſolitæ reſidentiæ, ſub anno à Natiuitate Domini milleſimo quingenteſimo quadrageſimo nono, indictione ſeptima, die vero vigeſsima quarta menſis Maij, Pontificatus prælibati Sanctiſsimi Domini noſtri Pauli Papæ Tertij anno quintodecimo. Præſentibus ibidē diſcretis viris dominis Didaco de Auilà, & Gabriele Vignodi eiuſdem Archiuij ſcriptoribus, teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter, atq; rogatis.

Et ego Nicolaus Durandus clericus Tullenſis diœceſis Archiuij Romanæ Curiæ ſcriptor quia pręmiſsis omnibus, & ſingulis interfui idcirco hunc proceſſum ſubſcripſi, & publicaui in eorūdem præmiſſorum fidem rogatus, & requiſitus.

Sub ſigno. Nihil, fini, contrarium.